DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

APOPELXIA SANGUINEA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS KEILY,

Hibernus,

CHIRURGUS, &c.

"———— From sudden death,
Good Lord, deliver us." Lit.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES BREWSTER.

MDCCCXXVI.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

APOPLEXIA SANGUINEA.

Auctore GULIELMO KEILY.

Ex omnibus morbis quibus corpus humanum obnoxium est, nullus magis exitiosus est nec tenebris densioribus obductus quam Apoplexia. Hic morbus attentionem medicorum bene meretur, quod nullus plus fatalem terminationem sæpius habet, et signa præcipua ejus rem magni momenti medico et pathologo monstrant.

DEFINITIO MORBI.

Hic morbus a Doctore celeberrimo CULLEN, in classe neurosium et ordine comatum ponitur,

et sic definitur : " motus involuntarii fere omnes imminuti, cum sopore plus minusve profundo, superstite motu cordis et arteriarum." Porro novem ejus species enumeravit; sed tractare eas separatim tempus non mihi est, et cum species sanguinea forma sit, sub qua hic morbus sæpissime apparet, et ejus accessiones magis subitæ, et cum sæpius fataliter terminet, de hac solum loquar, quæ a Doctore CULLEN sic definitur " Apoplexia *sanguinea* cum signis plethoræ universalis et præcipue capitis."

HISTORIA MORBI.

Apoplexia vulgo adoritur in æstate et autumno, et præcipue senes sed interdum juvenes adoritur. Qui habent capita magna et brevia colla, et plethorici, huic morbo obnoxiores sunt. Dum æger amicis omnibus bene valere videtur, subito concidit quasi fulmine ictus, et exinde hic morbus nomen ejus accepit (ab *απο* et *πλησσω*.) Aliquando sub talibus formis insidiosis, et dum, sanitate adhuc infracta, et vita florente, homo trepidat, vel solio labitur, et in terram cadit. Interdum hic morbus subito aggreditur, et symptomata sequentia vulgo accessionem ejus antecedunt; capitis dolor, vertigo, sensus gravitatis et plenitudinis, pulsatio arteriarum violenta, tinnitus aurium, sensus bombi

quasi strepitus hominum multorum uno tempore loquentium; symptomata hæc sæpe epistaxi comitantur, quo subsidium ex parte et pro tempore detur; mente et loquela indistinctis vel perditis quasi in ebrietate, visus imminutus, aliquando duplex, occæcatio temporaria, ab affectione olfactus, qui interdum, ex parte et interdum penitus aboletur prædispositio ad soporem et lethargiam, linguæ musculi afficiuntur, et vires pharyngis tam imminutæ sunt, ut æger deglutire non possit; affectionibus paralyticis affixis interdum uno membro aut membri parti, et sæpissime faciei musculis ubi contorsionem faciunt; vomitus accidit, vires animi demissæ sunt et æger uni rei pro longo tempore attentionem suam dare non potest, noctes vulgo insomnes peraguntur, anxietas et palpitatio cum incubus impetibus frequentissimis, ægrotum multum torquent, et postea sensationes istæ molestiores evadunt, et morbus adoritur. Sed invenire symptomata varia quoad numerum et gradum et originem medicus expectet, nam interdum paucis diebus solum apparent, et interdum mensibus vel annis, antequam æger apoplexiæ paroxysmo affici dici potest. Cum morbus sine signis antecedentibus advenit, æger sine sensu vel motu cadit, facies sua rubra et humida apparet, capitis vasa præcipue oculorum et sincipitis augentur, oculi

opaci fiunt, pupillæque dilatantur, palpebræ apertæ et rigidæ sunt, et vires animi penitus abolentur ; pulsus in principio celer est, morbo progrediente tardus et inordinatus fit ; hoc stadio peracto æger vires musculorum et sensus gradatim recuperat ; sed in multis exemplis hemiplegia vel affectus unius lateris manet ; mens vulgo afficitur, sensus ac perceptiones nimis accuratæ sunt, vox indistincta est, æger obliviosus et timidus est, et plerumque aliqui faciei musculi paralysi afficiuntur. Quum terminatio funesta expectatur, vultus magis magisque rubet et tumet, sanguis sæpe ex ore, naso et auribus ruit et copiosus sudor toto ex corpore erumpit. Respiratio difficilis et convulsiva fit et magis quam bis terve in horæ sexagesima parte non sentitur. Pharynx insensibilis fit, maxilla cadit, oculi magis opaci evadunt, convulsiones superveniunt, paralysis musculorum et præcipue sphincterum adest, ita ut fæces invito emissæ sunt, facies livida fit, membra frigescunt, pulsus magis inordinatus et celerior fit, vires omnes animi et corporis recedunt, et postremo mors ægroti miseri vitam terminat.

SECTIO CADAVERIS.

In capitibus eorum, qui hoc morbo moriuntur phænomena multa videntur. In calvam

dividendo sæpe est fluxus copiosus sanguinis a venis occipitis et frontis, qui, ut dixit Doctor Cheyne in Dissertatione sua de Apoplexia ex quantitate hujus fluidi in cordis latere dextro oritur. Dura mater interdum densatur, et adhæsionibus validis cranio adnectitur, tunica arachnoidea interdum densa et opaca est, pia mater interdum maxime vascularis inventa est, venæ sanguine subnigro turgescunt, effusio serosa inter tunicam arachnoideam et piam matrem sæpe observatur, quæ in specie variat: sanguis extravasus intra cranium, interdum intra membranas, et sæpe in substantia cerebri variis partibus, magnitudine tam larga quam ovum gallinæ, interdum in theca vertebrarum inventus est; ventriculi extensi observantur, et quantitatem seri vel fluidi infusioni coffeæ similis continent. Commeatus inter ventriculos magis patere visus est, jecur morbo affectum in multis casibus inventum est. Hæc sunt principia phænomena quæ in dissectione apparent.

Sæpe vero nihil morbidum inventum est. Interdum præter hæc phænomena cerebri substantia mutata est, et in massam mollem vertitur quod appellatur Gallicé "ramollissement du cerveau," cum vero symptomata plerumque ab supradictis varia sint; non mihi esse videtur, de cerebri constitutione hac, multa dicere.

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

In primis horum sequentes enumerandas esse mihi videtur: senectus, caput magnum, çollum breve, plethora vel temperamentum sanguineum, obesitas, diæta luxuriosa, vita sedentaria, suppressio evacuationum solitarum, intemperantia in usu liquorum spirituosorum, vitia cordis et arteriarum, omniaque demum quæ sanguinis cursum in caput augent.

Quomodo hæc in apoplexiam inducendo agunt, perpaucis verbis explicare conabor. Et primo de senectute. Vulgo creditur post certam ætatem, arteriarum tunicas densiores factas, sanguinis distentione et pressura longo tempore factis, easque distentioni vix cedere, et igitur accidit venarum vires vinci et ita venæ sanguine opprimuntur.

Caput magnum, in illis capitibus magnis præditis, major sanguinis copia ad cerebrum mittitur, propter vasorum amplitudinem, sed hæc ratio, ad explicandum modum quo caput magnum apoplexiam inducendo agit, impar mihi videtur; nam si ingentis cerebri vasa evoluta sint vires eorum magnitudini accommodatæ sunt.

Breve Collum. Capite juxta cor posito, illi magis est vis sanguinis, vasisque magis tortuosis, sanguinis liber reditus multum impeditur.

Plethora. Hæc agit sanguinis quantitatem in corpore augendo, et ideo in capitis vasibus plethoram inducendo, propter quantitatem sanguinis magnam ad cerebrum missam.

Obesitas. Adeps partibus corporis inferioribus collecta vasa premit, et eo sanguinis cursum liberum multum impedit, et exinde sanguis majore copia ad cerebrum mittitur.

Plena diæta et vita sedentaria inducendo habitum plethoricum agunt.

Hæmorrhagiæ suppressæ eodem modo agunt. Liquoribus spirituosis immoderate utendo, etiam sanguinis motum per totum corpus accelerat, sed effectum in capite peculiarem habere videntur, ut patet a vultus rubore, et pustulis quæ circa ora erumpunt illorum qui in usu horum sese indulgere solent.

Vitia Cordis arteriarumque, tumores ullas arteriarum quæ sanguinem ad partes inferiores vehunt comprimentes, sanguinis cursum per illas multum impediunt, et igitur major ejus copia ad cerebrum mittitur; aut si valvularum dextri lateris cordis ullæ afficiantur, sanguis ibi accumulatur, et hæc accumulatio liberum sanguinis reditum a capite impedit.

Tumores etiam in cerebro existentes, et vasorum ejus ossificationes, sanguinis per cerebrum reditum liberum impedientes, ad apoplexiam prædisponunt.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Apoplexiæ præcipuæ causæ excitantes sequentes enumerentur; quidam affectus animi irritantes, exercitatio immodica, ventriculus plenus, ebrietas, calor externus, tempestatis mutationes, caput deorsum proclive, aliquid circa collum nimis stricte ligatum, et quidquid sanguinis reditum liberum per pulmones impedit et exinde in latere dextro cordis accumulatur, et reditum liberum a cerebro impedit.

Animi affectus excitantes. Hi ad cerebrum sanguinis fluxum augent, nam in aliquo valde irato videri potest faciem huic floridam ac humidam fieri, et omnia signa, quæ indicant circulationem sanguinis auctam ad caput, adsunt.

Vehemens exercitatio. Sanguis musculorum actione ad cordis dextrum latus adpellitur; et cum cursus ejus ad corporis superficiem obsistetur, sic ad cerebrum mittitur, ubi musculi non impediunt, et distentionem in vasis ibi facit, et apoplexiam inducit.

Ventriculus plenus. Propter ventriculi distentionem liber diaphragmatis descensus impeditur, sanguinis cursus per pulmones imminuitur, et cumulando in cordis dextro latere, liber reditus sanguinis exinde inducitur.

Calor totum corpus stimulando agit, et ita

ad caput magnam sanguinis quantitatem mittendo.

Mutationes tempestatis in æstate calida, sanguis in vasis corporis superficiei magis libere transit; si post multum caloris frigus intensum subito applicetur, ad partes interiores sanguis repellitur, et congestionem in aliqua parte interna, vel fortasse, prædispositione adstante, in cerebro inducere potest.

Capite deorsum inclinato, sanguinis fluxus in hanc partem situ proclivi multum acceleratur, sed sanguinis reditus gravitate ejus multum imminuitur. Ligaturæ circa collum. Hæ venas colli comprimendo agunt, et reditum sanguinis per eas impediendo, scribitque Doctor Donald Monro, milites complures de Apoplexia mortuos esse, quia torques suas nimis constrictas habere coacti essent.

Ebrietas systema vasculare stimulando et sanguinis in caput majorem copiam mittendo, et congestionem in cerebro producendo effectum habet.

DE DIAGNOSI.

Symptomatis omnibus observatis Apoplexiam ab omnibus aliis morbis facile discernere possumus.

Ab ebrietate discernere eam tentandum est

nobis, si æger stimulantibus excitari possit, si odorem liquoris ardentis exhalet, aut si pupillæ, lumine subito applicato, contrahent, nam hæc omnia in ebrietate, et non in Apoplexia occurrunt. Si hæc non sufficiant, duratio paroxysmi et morbi historia considerandæ sunt.

Apoplexia convulsionum absentia ab Epilepsia distingui potest, aut si convulsiones ullæ adsint, mitiores sunt, et latus unum solum afficitur, aut aura epileptica vel stertore et sopore dignoscitur.

A Paralysi facile discernitur, nam unus est totius corporis affectus, alter ejus partem solum afficit, et in Paralysi animi vis non omnino perit. Apoplexia cum syncope vix confundi potest, nam in syncope vultus pallidus est, quod in Apoplexia raro accidit. In Apoplexia cordis et arteriarum motus manet, sed in syncope pro tempore penitus cessat, et durante syncope respiratio vix percipi potest, dum in Apoplexia fortissime et cum stertore trahitur. Ab Hysteteria discerni possit nempe globo Hysterico et viribus animi manentibus, et in hysteria quid ab adstantibus dictum est æger audit.

DE PROGNOSI.

Cum homo hoc morbo semel adortus esset, semper alii accessioni obiicitur, et ægrum bo-

nam valetudinem recuperare raro occurrit: vulgo hemiplegia aut aliquæ affectio musculorum post ejus accessionem manet; sed prognosin nostram a symptomatis præsentibus solum ducere possumus, et ab ægri habitu et modo vivendi. Si initio accessionis æger de dolore capitis subito conqueratur, si prædispositio hæreditaria adsit, si paroxysmus in longum tempus duret, si respiratio difficilis et stertoria, pulsus parvus, debilis et intermittens, partes corporis extremæ frigidæ, convulsiones præsentes, sudores profusi et viscidi adsint, et si fæces præter voluntatem dejiciantur, prognosis semper infausta est. At cum prædispositio non hæreditaria sit, et symptomata mitiora, sanguis ex auribus vel alia parte effluet, et si remedia administrata effectum bonum afferrent, exitum salutarem expectemus.

DE MEDENDI RATIONE.

Apoplexiæ curatio ad capita tria referri potest. Primo. Remedia exhibenda cum symptomata apparent quæ Apoplexiam minitantur. Secundo. Cum paroxysmus adsit, quomodo amoveatur. Tertio. Cum paroxysmus amotus sit, quomodo reditus ejus anteveniatur.

Primo. Quando faciei rubor, et tensio sincipitis et oculorum dolorosa adsint, cum vertigine,

sopore, molestia, pulsatione arteriarum temporalium, et aliis signis, quæ sanguinis abundantiam in capite indicant, remedia hæc quæ imminuendo capitis vasorum plethoram utilia sint, nobis administranda sunt. Inter hæc sanguinis detractio locum primum tenet, et secundum ætatem et ægri temperamentum conficienda est. Si hic morbus hominem habitus plethorici minitetur, tunc sanguis ab arteria temporali aut vena jugulari mittetur; sed si æger constitutione debili præditus sit tunc cucurbitulæ vel hirudines collo aut temporibus applicentur: etiamsi hoc sit auxilium præcipuum, minora non negligenda sunt ut cathartica, epispastica, et, ut breviter loquar, totum regimen antiphlogisticum, ut dicunt medici: si morbus ab solitarum evacuationum suppressione acciderit, eas iterum inducere decet.

Secundo. Quando paroxysmus adest, quomodo amoveatur. Æger in cubiculum magnum removendus est, aër libere admittendus; caput erigendum, et omnia, quæ sanguinis reditum liberum a capite anteveniunt, removenda sunt, nullusque in cubiculum admittendus præter illos qui auxilium ægro ferunt; sanguis statim detrahendus est, si detractio prima non sufficerit, iterum iterumque detrahendus est si necessarium. Si paralysis unius lateris adsit, sanguis a latere non affecto mittendus est, nam

sæpe accidit cerebrum latere adverso e paralysi affectum esse; at nulla certa regula dari potest, quanta copia detrahenda est, sed sanguinem fluere permittere melius est, donec pulsus magis naturaliter micat, aut donec sallutis redeuntis aliqua signa monstrat. Cataplasmata fomentaque interdum ad partes inferiores applicata perutilia sunt. Affusiones aquæ frigidæ et applicationes frigidæ capiti, removendo sanguinis determinationem a capite utiles sunt. Si deglutire æger possit, cathartica administranda sunt, sed cum magna cura danda ne vomitum inducant, et accelerando sanguinis fluxum ad caput injuriam afferant, sed hoc in dubio est, nam nonnulli medicamenta vomitoria perutilia esse docent, præsertim si ventriculus plenus sit quippe post cibum copiosum morbus aggressus est; si æger deglutire non possit, enemata fortissima ad alvum ducendam exhibere oportet. Epispastica nuchæ aut inter humeros auferendo sanguinis a cerebro pressuram utilia sunt.

Tertio. Quando paroxysmus amovetur, quomodo reditus ejus præveniatur. Quum æger sanitatem recuperaverit, et causæ prædisponentes adsint, omnes has causas, quæ mittendo majorem sanguinis copiam ad caput agunt, vitari opus est; omnes animi affectus, vita sedentaria, studia immodica et exercitatio vehemens, et omnia quæ sanguinis fluxum ad

cerebrum augent, evitanda sunt, alvus catharticis laxa servanda, temperantia in cibo potuque observanda est. Homo huic morbo obnoxius parca diæta uti debet, et præcipue vegetabili. Sanguinis detractio ab aliquibus laudatur, sed injuriosum esse potius credo, nam plethoram inducit, et hæc prædispositionem ad Apoplexiam dat. Setacea in nucha, quæ admonendo ab luxuria in vigilias agent, multum laudantur; caput in lecto erigendum, et ligaturæ circa collum omittendæ sunt, subitæ mutationes a calore ad frigus, et omnia, quæ anxietatem et curam inducunt, evitanda sunt.

FINIS.